



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Adnotationes || Et Meditationes || In Evangelia Qvae || In
Sacrosancto Mis-||sae Sacrificio || Toto Anno || Legvntvr;||**

Nadal, Gerónimo

Antuerpiæ, M. D. XCV.

Feria V.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78158](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78158)

omnium mysteriorum ante oculos mentis tuæ pone, inquire, scrutare, ora : fiet ut audias sapientiam Dei, & instruaris ad agnoscendas animi tui prauitates, tuos errores, tuas imperfectiones multas & magnas. Hæc signa pete, hæc persequere, non vanitates & insanias falsas. Nam si secus feceris, fiet ut desiderium illud tuum, cum Deo non placeat, aperiat ianuam illusionibus, & à Diabolo excipiat. Nā qui ita arroganter signa querit, adducit rerum insolitarum cupiditatē malo spiritui ductus, quæ quid aliud est quàm à Damone expetere vanitates & mentis deliria? Resistite igitur fratres Diabolo, & fugiet à vobis, & veras accipietis à Christo IESV consolationes,

verum fructum orationum vestrarum & actionum. Caute verò ne vobis eueniat, quod Christus minatus est omnibus sua proportionē, ne cum exierit à vobis per veram poenitentiam, vel Religionis ingressum Damon vnus, nec amplius crassis vitijs vos superet, tamen vires intendat Satan, & mittat vel plures tentatores, vel fortiores aliquem spiritum, qui spiritualibus prauitatibus vos deludat atque euertat, & fiant vestra posteriora peiora prioribus, ut sunt vitia spiritualia carnalibus peiora atque difficiliora. Quod auertat malū Christus IESVS, qui est benedictus in secula. Amen.

Luc. 11.

Iacob. 4.



FERIA V. POST PRIMAM DOMINICAM QVADRAGESIMÆ.

De Chanaanæa.

MATTH. XV.

MAR. VII.

ANNO XXXI.

In xxxi. imaginem adnotatiuncula.

xxx.

61.

- A. Regio Tyri & Sidonis in Phœnice.
- B. Domus in pago, vbi voluit latere IESVS.
- C. Tyrus non longè.
- D. IESVM primum intellige domum ingressum, quem sequuta est mulier.
- E. Egressum consequitur, clamat. rogant pro ea disci-

- puli, respondet illi tandem IESVS, O mulier &c.
- F. Domus Chanaanæa, & in ea liberata filia à Damone.
- G. Edunt catelli de micis cadentibus de mensa discipulorum.

EVAN.

DOMINICAM QUADRAGESIMAE.
EVANGELIUM MISSÆ.

MATTH. XV.

MAR. VII.

ET egressus inde IESVS,
secessit in^a partes Tyri &
Sidonis.

Et ecce mulier Chananæ
à finibus illis egressa,

clamavit dicens ei: Miserere mei Do-
mine fili David; filia mea malè à Dæ-
monio vexatur. Qui non respondit ei
verbum. Et accedentes^c discipuli eius,
rogabant eum dicentes:

Dimitte eam, quia clamat post nos.

Ipsè autem respondens ait; Non sum
missus nisi ad oves quæ perierunt do-
mus Israël.

At illa venit,
& adoravit eum dicens;

Domine, adiuua me.

Qui respondens, ait;

Non est bonum sumere panem filio-
rum, & mittere canibus.

At illa dixit;

Etiam Domine;

nam & catelli edunt de micis quæ ca-
dunt de mensa dominorum suorum.

Tunc respondens IESVS ait illi:

O mulier, magna est fides tua: fiat tibi
sicut vis.

Et sanata est filia eius ex illa hora.

*Et inde surgens
abyt in fines*

*Et ingressus domū, neminē
voluit scire: & non potuit la-
tere.*

Mulier enim

*Statim ut audiuit de eo, cuius
filia habebat spiritum immun-
dum,*

*intrauit, & procidit ad pedes
eius.*

*Erat enim mulier gentilis,
Syrophœnissa genere.
Et rogabat eum ut Dæmonium
eyce et de filia eius.*

*Qui dixit illi;
Sine prius saturari filios:*

*respondit, & dixit illi;
Vtique Domine;
nam & catelli comedunt sub
mensa de micis puerorum.*

*Et ait illi;
Propter hunc sermonem vade;
exijt Dæmonium de filia tua.*

*Et cum abisset domū, inuenit
puellā iacentē suprà lectū, &c.*

ADNO-

ADNOTATIO.

A. Regio Tyri & Sydonis in phœnicia, quod quasi secesserat ex Galilæa inferiori, & ciuitate Capharnaï IESVS: erat verò illa regio Gentilium, ciuitates opulente & celebres.

B. Domus in pago nò longe à Tyro: in ea voluit latere Christus, verum non potuit: quod fecit fides quam sciebat magnam esse Gentilis mulieris, quæ fidei Gentium magnitudinem designabat.

C. Tyrus non longè trans pagum.

D. IESVM domum ingredientem spectat cum discipulis latenter, sed suo studio illum, diligentia, & fide inuestigauit mulier Syra ex Phœnicia Chananæa. Nam eam regionē & olim possederant Chananæi, & eò frequentes secesserant, cum aduersum eos bellum gererent Hebræi, atque eorum inferiores regiones vastaret. Hæc igitur mulier supplex subsecuta est in domum Apostolos & Christum, petens à vexa-

tione Demonis filiam liberari. Nullum verbum illi respondet IESVS, ne in domo quidem.

E. Verum cum se non latere animaduertisset, domo egreditur; egressum prosequitur mulier clamans post Apostolos, rogant pro illa Apostoli, cōstitit Christus, prouoluitur ad pedes eius mulier. Ibi pulcherrimum illud Gentilis mulieris & Christi IESV colloquium factum est; in quo mulieris constans & humilis fides, & orationis præclara illa importunitas declaratur: elucet verò summa Christi IESV & sapientia & misericordia. Denique refert sue fidei & orationis mulier præmium: expellitur à filia absente teter Demon.

F. Domus Chananæa, & in ea libera à Dæmone filia exsultat antea domestici.

G. Edunt catelli de micis quæ cadūt de mensa dominorum suorum.

MEDITATIO.

Magna est huius Euangelij, fratres, doctrina, plena est diuinæ virtutis & humanitatis; sit eius auctor IESVS in secula benedictus. Docet nos bonus & sanctus IESVS, quemadmodum magna fide spiritus & humilitate oremus & efficaciam, exemplo Chananææ mulieris. Non repetam quæ illa fecit, sed sequar & imitabor. Primum quidem docuit ut agnoscam esse me mulierem, hoc est infirmæ naturæ & inconstantis, gentilem præterea, Chananæum, Syrophœnicem, id est moribus planè deprauatum, à vitâ spirituali, & terra viuientium extorrem. Hoc quidem sumus omnes ex nobis. Deinde concepta fide, spe, & amore in Christum, qui nobis sese offeret per exemplum Chananææ, prauitatem morum exuamus, vitia depellamus, bono animo in Christo ex illo exilio egrediamur, ad vitâ spiritualis, & terræ viuientium desiderium ingrediamur. Ibi IESVM reperiemus, ad illum clamemus pro filia nostra, pro nostris scilicet potentijs & actionibus, quæ continentur à Dæmone vexantur. Quò enim non penetrat veteraror Diabolus? cui cogitationi non se immiscet? cui actioni non se intrudit? suas astutias, malitias, deprauationes ubi non machinatur? Nullum est tempus, nullus locus, nulla nostra actio quam non obseruet, quam

non oppugnet, quam non corrumpere conetur impotenter. Clama ad Christum ut illum repellat cū suis diabolicis vexationibus. Domine fili Dei omnipotentis, Deus ipse omnipotens, tuam misericordiam in me extende, nam filia mea à Dæmonio diuexatur. Magnū detrimentum potentia meæ, & meæ actiones patiuntur, nullus est qui me adiuuet, nisi tu qui docuisti me per Chananæam ut orarem, & quo pacto orarem erudisti. Et quidem alias ut peterem à malo liberari præcipisti: pestilentissimum est malum Diabolus & exitiale. En oro te Domine, & tamen non respondes mihi verbum, me non exaudis: exerceat in me tyrannidem truculentus hostis humana naturæ & tuus, sauij magis in dies. Neque verò moueor admodum illius acerbitate, moueor quòd impura fiant meæ actiones, si nihil aliud, & impediatur spiritualis profectus ac vitæ perfectio. Intellego te Domine velle orari per sanctos tuos, oro illos ut pro me apud te intercedant, ut meas tibi deprecationes representent, ut pro me orent. Post illos te sequor, nunquam desinam orare, donec me exaudieris. Domine adiuua me, repelle à me hostem meum & tuum. At vero scio similiter respondere te sanctis pro me orantibus, atque pro Chananæa orantibus

Apostolis:

Apostolis: Non sum missus nisi ad ones quæ perierunt domus Israël: indignus est iste pro quo exaudiamini, non enim ad eam humilitatem & fidem pervenit, quæ impetrat quæ petuntur, & Israël faciunt hominem, id est apud Deum potentem. Ad illam fidem & humilitatem aspiro Domine. En adoro te, procido ad pedes misericordiæ tuæ in calo cum Patre & Spiritu sancto regnantis. Adjuna me sancte IESV & benigne. Ecce sancti simul orant pro me. Quod si mihi dicas (ut dignus sum cui dicas) te filios tuos spirituales exaudire, qui sedent in mensa tua, & tui spiritus consolatione, & caelesti cibo fruentur, me canem esse, & indignum cuius aliquam rationem habeas, id sane verum est Domine, & arrogantiæ mea grandis esset si tuis amicis & conuiuiis me annumerarem. Illi Domini

mei sunt, ego illorum in te seruus: illi in mensa tua caelesti & diuina tui contemplatione pascuntur, liberati à Dæmonis tyrannide. Mihi sat erit Domine bone, si sum illorum canis & catellus, qui excipiam ea quæ illis de tua diuina largitate redundant: illa mihi saterentur, illis ero contentus. Age Domine, hoc fac benigne Domine, ne mihi tam sint Dæmones molesti & importuni, contra meam enim voluntatem ea mihi offundunt quæ tu nosti, nec illos possum abigere. Quod si hoc de tua providentia non placeat, illud saltem facias sancte IESV, ut nihil mihi noceant illæ importunitates quibus me oppugnat terra illa bestia, sed in fructum animi mei potius conuertantur, & ad maius meritum coram te proficiant. Amen.

FERIA